



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Ioannis Baptistae Egnatii Veneti In Romanorvm Principvm Librvm Primvm
Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

IOANNIS BAPTISTAE

EGNATII VENETI IN ROMANORVM
PRINCIPVM LIBRVM PRI-
MVM PRAEFATIO.



MPERATORVM uitas à dictatore Caesare, qui primus pa-
triae libertatē oppressit, ad Constantinum Palaeologum, sub
quo Turcarum seruitio Constantinopolis cecidit: hinc à Caro-
lo Francorum Rege ad Maximilianum Caesarem breui alio-
qui stilo perscripsimus: rem ut perdifficile mihi, atq; arduam,
sic iucundam qui legent omnibus, & (ut opinor) haud inuti-
lem. Nam praeterquam quod multa hinc haurias, unde tibi patriaeq; tuae pluri-
mum prosis: ipsa certe Romani imperij maiestas, admirabiles eorum, qui impe-
rarunt, euentus, tot regnorum repetiti casus, tot principum mutationes relatae,
non fastidium solum operosae lectionis adimunt: sed admirabundos sensim le-
gentes partim ducunt, partim etiam trahunt. Vti neminem arbitrer uel medio-
criter imbutum literis, qui non haec & libenter agnoscat, & summa cum uolupta-
te non perlegat. & alioqui ad rei nouitatem accedit, quod consulto non pauca
sunt à nobis addita, quae rerum seriem non modo non interrumpant, uerum-
etiam exornent: quod in fabula dextrae sinistraeque tibiae inter unum alterumue
actum adhibita etiam praestent: nec in campis herbarum uitor minus iucundus,
quem uioleae, hyacinthique purpurei distinguant. Omnium certe rerum uarietas
expetitur: & falsum illud est, saccharo semper conditoria fieri fercula. Quod si quis
erit, qui pleniorē, uberiorēque historiam à me exigat: ille saltem hoc mihi non
neget, multa esse, quae breuitate commendatiora sint sua. Nec tamen desunt in-
terim principes, quos copiosius attigi: quorum scilicet & imperij diuturnitas, &
rerum magnitudo id exposcere uidebat. Illud uero testatum apud omnes esse
uelim, nihil à me gratiae, nihil odio datum: ipsa ueritas nec interim nuda, ut mul-
ti hactenus, tantum à me spectata. Anni praesertim imperij, ortus eorum, & pa-
tria, illustrataque eorum gesta domi, forisque non omitta: series uero principum tan-
ta fide à me deducta, ut nihil desiderare amplius quis habeat. Nam & Flauius
Blondus hisce libris, quos ab inclinatione Romani imperij conscripsit, multos
uno uelut agmine ut sibi incognitos, omisit: & qui post illum historiam totius
orbis amplexi sunt, nihil omnino ad uiri illius diligentiam addidere. Ego uero
& praeter Zonarae graecam historiam, & Nicetae Choniatae, Christodulique com-
mentarios, Gemistiquae libros, etiam schedia quaedam non indignum, quae excu-
terem, duxi: uti rem semel ceptam Dijs bene fauentibus absoluerem: quo certa
omnia, explorataque posteris traderem, utrum autem id assecuti simus, praesens
aetas fortasse malignius, sequens certe simplicius ac candidius aestimabit.

aa 2 Ioannis